

Propositio 54.

Sex sunt passiones appetitus concupiscibilis : amor, et odium : desiderium, et fuga; gaudium et tristitia.

Notiones. Operationes appetitus vocantur communiter variis nominibus; v. c.

Motus, quia tales actus sunt aliquomodo tendentiae versus bonum, vel aversiones a malo opposito;

Affectiones, quia objectum bonitate sua vel malitia subjectum sentiens afficit seu immutat, ut illud anhelet vel fugiat;

Passiones, quia recipitur in sentiente haec affectio seu immutatio : eam proinde patitur appetens, in facultate sua, etiam in corpore.

Stat. quaest. Sex illas dicimus primarias esse passiones, ad quas reliqui actus concupiscibilis appetitus omnes reduci possint. — Imo etiam ipsi ad tres revocari possent : amorem, desiderium, gaudium, quibus ceteri ut contrarii opponuntur.

Prob. Objectum appetitus concupiscibilis est bonum sensibile delectabile; et hoc bonum percipi et appeti nequit nisi aut in genere, in se; aut ut praesens; aut ut absens; *a.* primum movet amorem, vel odium; alterum movet gaudium (delectationem, fruitionem), vel tristitiam; tertium movet desiderium, vel fugam; *e.*

Ad min. 1) Appetitus boni in genere provocat accessum ad rem in qua invenitur (amorem); vel provocat recessum a re in qua non invenitur nisi ejus privatio (odium);

2) boni praesentis appetitus provocat accessum ad rem in qua invenitur (unionem, delectationem, gaudium), vel recessum a re in qua ejus est privatio (tristitiam);

3) bonum absens circa quod appetitus exerceatur, est futurum, non autem praeteritum, ut sic; *a.* boni futuri appetitus provocat accessum ad rem in qua invenitur (desiderium, concupiscentiam); vel recessum a re quae eo privata est (fugam).

Propositio 55.

Quinque sunt passiones appetitus irascibilis : spes, et desperatio; audacia, et timor; ira.

Prob. Objectum appetitus irascibilis est bonum sensibile arduum; et hoc bonum considerari seu percipi nequit nisi aut absolute et in se, ut bonum malo minitante mistum; aut ut praesens; aut ut absens; *a.* 1) boni ardui in genere abstracta consideratio nullam provocat irascibilem passionem, seu luctam, practicam scilicet passionem; sed solum amorem vel odium, quasi theoreticam passionem in concupiscibili;

2) boni ardui praesentis perceptio nullam luctam irascibilis jam excitat, sed fruitionem concupiscibilis;

3) malum minitans praesens provocat *iram*;

4) bonum arduum absens futurum, si apparet ut possibile, provocat *spem*; si ut impossibile : *desperationem*;

5) malum minitans futurum, si apparet ut eluctabile, provocat *audaciam*; si ut ineluctabile : *timorem*.

Objic. Boni ardui praesentis possessio, provocat quietem a lucta et elationem contra malum oppositum devictum; *a.* haec est gloriatio seu exultatio, specialis passio irascibilis, opposita irae; *e.* — R. c. *maj.* — *ad min.* per partes : haec est gloriatio, exultatio, *c.*; specialis passio, *d.* in sensitivo irascibili, *n.*; in concupiscibili, et quidem intellectuali, connotans perceptionem victoriae formaliter sumptae, *c.*

Coroll. 1^m Dicta de passionibus in conspectu habeas :
circa bonum

ut fruendum — — — — — appetitus concupiscibilis.

in genere :

{ accessu ad bonum — — — — — amor.
} recessu a malo opposito — — — — — odium.

praesens :

{ accessu ad bonum — — — — — gaudium.
} recessu a malo opposito — — — — — tristitia.

absens, futurum :

{ accessu ad bonum — — — — — desiderium.
} recessu a malo opposito — — — — — fuga.

ut arduum — — — — — appetitus irascibilis.

in genere — — — — —

praesens :

{ bonum — — — — —
} malum oppositum minitans — — — — — ira.

absens, futurum :

bonum
{ possibile — — — — — spes.
} impossibile — — — — — desperatio.

malum oppositum minitans :

{ eluctabile — — — — — audacia.
} ineluctabile — — — — — timor.

Coroll. 2^m Ergo prima et princeps passionum, ex qua reliquae omnes oriuntur, est amor.

Coroll. 3^m Ergo quas dicimus passiones, non sunt mere passivi motus, quasi appetitus foret potentia passiva; sed sunt vere activi motus immanentes subjecti reagentis, secundum suam cognitionem, in rem cognitam.

Coroll. 4^m Quum objectum, praeter formalitatem suam, in concreto sem-

per habeat ut sit praesens, vel absens, ideo plures semper erunt in subjecto passionibus simul.

Coroll. 5^m Ex harum passionum varia mixtione oriuntur aliae secundariae, v. c. invidia, zelus, pudor, ... quae saepe etiam aliquid rationale admixtum habent, neque inveniuntur nisi in homine.

Coroll. 6^m De passionibus cfr. S. Thom. 1. 2. qq. 22-49 : tractatum nunquam satis laudandum!

ARTICULUS 4.

De vi locomotiva.

Propositio 56.

Ad locomotionem spontaneam progressivam praerequiruntur cognitio, appetitus, et membrorum apta dispositio.

Notiones. 1) Duplex motus localis vitalis in animante distinguendus : a) motus *naturalis, seu organicus*, ad vitam vegetativam pertinens, v. c. motus cordis, arteriarum, pulmonum, intestinorum, palpebrarum; b) motus *animalis, seu relationum externarum*, ad vitam sensitivam pertinens, v. c. ambulatio, cursus, exultatio, nisus ad rem distantem.

2) Motus naturalis necessario et semper, ac certa mensura et regula fit et repetitur; ejusque alteratio vel cessatio est animantis morbus vel etiam mortis causa; dicitur hic vulgo motus non spontaneus; neque est proprie motus localis, i. e. a loco in locum, sed potius alternativus motus expansionis et constrictionis.

3) Motus animalis nonnisi accidentaliter, pro dato objecto, nec certa mensura temporis vel impetus, fit ac repetitur; sed potest pro variis passionibus, habitibus, educatione, imperio (humanae) voluntatis, alterari, cessare, iterari; et hic dicitur vulgo motus spontaneus.

4) Teste experientia, non idem est motus animalis apud omnia animantia; sed alia movent se ita, ut toto suo loco relicto in alium locum migrent; alia ita ut suo non relicto ad alium se expandant, vel ab alio se in suum constringant. — De utroque modo, sed de priori imprimis hic agitur.

Prob. 1^a pars (requiritur cognitio). Motus spontaneus non est mechanicus passivus, sed tendit ad certum terminum, quem ipsum animal sibi determinat; a. certum sibi terminum seu scopum determinare nequit nisi illum cognoscens; e.

Ad maj. a) Bruta non sunt mera automata mechanice acta, cfr. prop. 21; b) motus spontaneus non ipso facto necessario habetur, quod terminus praesens est, sed eum sibi ut terminum praefigere debet animal.

Prob. 2^a pars (appetitus). Motus spontaneus : a) teste experientia, in tantum ad aliquid fit, in quantum illud ut bonum percipitur et appetitur; —

b) in tantum ab aliqua re fit recessus, in quantum illa ut mala percipitur et fugitur; — c) in hoc differt spontaneus a naturali, quod ille secundum bonitatem rei, hic secundum corporis constitutionem fit; — a. haec signa ostendunt motum localem spontaneum necessario et tanquam causam sui praesupponere cognitionem et appetitum; e.

Prob. 3^a pars (membrorum aptitudo). 1^o Teste experientia, si membra male disposita sunt, motus vel non fit, quantumvis appetat animal; vel non talis fit qualem animal facere conatur; e.

Prob. 2^o Naturalis membrorum conjunctio, et compositio ex aptis partibus, et structura, aptitudinem et finalitatem eorum ostendit naturalem; a. haec aptitudo finalis inutile opus naturae foret, nisi ad finem requireretur ut medium naturale; e.

Propositio 57.

Facultas locomotiva est organica, et ab appetendi facultate distincta, cujus organum sunt musculi.

Prob. 1^a pars (organica). Quale operari, tale esse; a. facultas locomotiva : 1) est immanens in corpore, 2) cogitari nequit sine corpore agens, 3) dependet ab apta membrorum dispositione; e.

Prob. 2^a pars (facultas distincta). 1^o Potentiae specificantur per suos actus et objecta formalia; a. actus et objecta formalia locomotionis et appetitus varia sunt; e.

Ad min. In appetitu : *actus* est bonum cognitum prosequi affectu; *objectum* est bonum apprehensum ut bonum; — in locomotione : *actus* est boni possidendi apprehensio realis per motum realem; *objectum* est physica corporei motus realitas.

Prob. 2^o Realiter distinguuntur quae realiter separari possunt; a. teste experientia, animal quantumvis rem appetat, aliquando ad eam se movere non potest, v. c. paralyti; e.

Prob. 3^a pars (organum musculi). Teste experientia et physiologia, a) nullus efficitur motus nisi contractione vel relaxatione musculi ad hoc deputati; b) ipsa musculi contractio vel relaxatio, si sit spontanea, provocatur per nervos e systemate cerebro-spinali oriundos, in omnes partes distributos, et musculis insertos; — a. talis efficientia motus ostendit potentiam elicivam seu executricem motus in ipsis musculis residere; quae quidem potentia determinanda ad actum sit per provocationem a potentiis aliis sensitivis et appetitivis; e.

Coroll. Locomotionis organum activum quidem sunt musculi; sed passivum praeterea organum, seu instrumentum, dici possent ossa quibus tanquam vectibus et trochleis utuntur musculi.

QUAESTIO 2.

De principio vitae sensitivae.

Sicut circa vitam vegetativam, ita etiam nunc circa vitam sensitivam, perspectis operationibus hujus vitae, atque ex operationibus ipsis quoque potentiis singulis consideratis, a posteriori de intima sensitivorum viventium natura quaerendum est. Et quidem monendi iterum sumus, de intima natura et principio sensitivo judicandum esse ex praecedentibus ibi solum, ubi non nisi sensitivae vel inferiores operationes inveniuntur, reservata quaestione de principio humano, ubi intellectuales praeterea sunt operationes. Sunt autem :

- Articulus 1. De existentia et natura principii sensitivi.
Articulus 2. De ejus ortu et interitu.

ARTICULUS 1.

De existentia et natura principii sensitivi.

Propositio 58.

Potentiae sensitivae sunt distinctae ab omnibus viribus materiae brutae.

Stat. quaest. 1) Incipit inquisitio, utrum animalia sint una per se, an tantum una per accidens, scilicet mera aggregata ex variis elementis materialibus artificiose attemperata.

2) Hoc alterum docent organicistae, materialistae, quorum alii positivistae, alii deterministae nuncupari volunt. Juxta eos animalia non sunt nisi aggregata quaedam artificiosae structurae, quae efficienter per virium naturalium resultantiam in centrīs nervosis, tum cerebri tum magni sympathici, vim sentiendi causent.

3) Quomodo vis sentiendi in centrīs nervosis per hanc resultantiam sub organismo positam oriatur, dupliciter explicant :

a) alii asserunt vim sentiendi non differre ab hac resultantia; inde sensationem non aliud esse nisi mechanicam aliquam fibrillarum vibrationem, vel chemicam secretionem ex impulsu interno vel externo profectam, et per nervos ad centra usque apte delatam;

b) alii dicunt eam differre a resultantia, sed essentialē eam esse affirmant materiae brutae, licet secus ac aliae hujusmodi materiae vires, occulta maneat donec posita sub resultantia illa se evolvat, fiatque capax prodeundi in actum.

4) Potentiae sensitivae omnes hic intelliguntur antehac enumeratae, sive cognitivae, sive appetitivae, sive locomotivae. Sed de cognitivis magis explicite disputamus, quia ibi major difficultas, et contradicentium conatus; et quia ex his reliqua consequenter fluent.

5) Valet haec propositio de facultatibus sensitivis tum brutorum tum etiam hominis : eadem enim est ratio.

Prob. Vires materiae brutae hic intelligendae essent aut manifestae vires earumque resultantia; aut occultae vires a manifestis distinctae, quae non nisi sub istarum resultantia sese manifestent; *a.* neutrum...; *e.*

Prob. min. 1 part. (non manifestae). Potentia et actio specificatur ab objecto; *a.* objectum virium quae hic supponerentur in unam resultantiam concurrere, essentialiter differt ab objecto virium sensitivarum; *e.*

ad maj. Etiam vis seu potentia composita vel resultans ex aliis pluribus, non essentialiter ab eis differre omnibus simul sumptis potest; nam ejus objectum tale esse debet, circa quod singulae illae saltem aliquo respectu et quasi initialiter agere possint.

ad min. Objectum virium chemicarum, physicarum, mechanicarum, sunt corpora eorumque accidentia, prout in concreto et materialiter in se subsistunt; — objectum virium sensitivarum sunt eadem corpora cum suis accidentibus, non prout in concreto et materialiter in se, sed prout abstracta a sua materia reali in sentiente intentionaliter existunt; — *a.* talia objecta essentialiter differunt; *e.*

Prob. min. 2 part. (non occultae). Ex praecedentibus propositionibus, omnes potentiae sensitivae sunt organicae, i. e. esse nequeunt nisi in organismo; *a.* quae potentiae esse nequeunt nisi in organismo, esse nequeunt qua tales in materia non organisata (nam contradictorium est facultatem essentialiter organicam, i. e. quae nec esse nec concipi potest nisi in materia, et quidem in organisata materia, existere tamen non solum virtualiter vel in potentia, sed formaliter praesentem in materia non organisata).

Propositio 59.

Est in brutis animantibus anima sensitiva una, quae tanquam forma substantialis totum corpus informat.

Prob. 1° Bruta non differunt ab homine ut sentiente; *a.* in homine ut sentiente datur anima sensitiva una, quae tanquam forma substantialis totum corpus informat; *e.*

Ad min. Teste sensu intimo totum corpus hominis est sensu praeditum, et unum est subjectum sentiens; ac proinde est substantia una sentiendi capax; *a.* ut sit substantia una, necesse est ut formis elementorum, ex quibus componitur corpus, recedentibus, his elementis superveniat principium substantiale unum, quod tanquam forma determinet illa; *e.*

Prob. 2° Datur in brutis anima vegetativa una totum corpus informans; *a.* haec est simul sensitiva; *e.*

Prob. maj. Datur in plantis anima vegetativa una totum corpus informans; *a.* vita vegetativa in brutis multo perfectior est quam in plantis; *e.* a fortiori.

Prob. min. 1) Anima vegetativa dat animalibus corpus organicum; *a.* quod eis dat corpus organicum, est simul principium sentiendi; *e.*

ad min. Sensus non nisi supposito corpore organico est in animalibus (nam sentire nequeunt sine organis); et supposito organico corpore, necessario sensus sequitur (nam organa sine sensu essent inutile opus naturae, quod repugnat); *a.* id quod ponit requisitum et sufficiens sensus, est sensus principium; *e.*

2) Anima vegetativa est principium formale essendi; *a.* quod est principium formale essendi, est principium radicale omnium operationum, etiam sensitivarum; *e.*

3) Duo principia quae per se in unum individuum finem, tanquam in finem suum proprium et intrinsecum, tendunt, sunt unum idemque principium; *a.* principia vitae vegetativae et sensitivae in brutis tendunt per se, tanquam in finem proprium intrinsecum, ad conservationem corporis viventis et propriae speciei; *e.*

Prob. 3° Si in animalibus plura distincta sentiendi principia ponerentur, in eis plures ponerentur corporis motores; *a.* ita nequit explicari ordo conspirationis motuum animalis in unum finem: conservationem et prosperum statum totius corporis; *e.*

Prob. min. Singula ista principia per diversos nervos et fibras ad diversas sensationes determinata, corpus in diversa distraherent; *a.* ita stare non posset ordo conspirationis in finem unum (nam quod alicui parti in se spectatae convenit, non semper ei convenit ut est pars totius); *e.*

Prob. 4° Totum corpus organicum animantis est ens per se unum et proinde substantia una; *a.* id esse nequit nisi per principium formale, substantiale unum, quod erit anima sensitiva; *e.*

Ad maj. Primum subjectum alicujus potentiae primigeniae (i. e. quae non sit composita vel resultans aliarum plurium) esse nequit nisi ens unum per se; *a.* primum subjectum potentiae sensitivae nequit esse nisi corpus organicum animantis; *e.*

Ad min. Esse substantiale rei est a forma substantiali...; et haec forma erit hic anima (quia principium agendi immanenter), et sensitiva (quia specificatur ab actu suo proprio et supremo, cui ceterae actiones subordinantur).

Propositio 60.

Non anima sola, sed compositum ex anima et corpore facultatum sensitivarum subjectum est.

Stat. quaest. 1° *Facultates sensitivae* intelliguntur omnes antehac dictae potentiae cognitivae, appetitivae, locomotivae. De his quaeritur, quum omnis potentia sit forma alicujus subjecti ab eo distincta (cfr. ontolog.), quodnam sit hoc subjectum.

2° Cartesius et recentiores multi de brutis quidem non agunt, quibus nempe ipsas facultates sensitivas abnegant; sed de homine, cujus unitatem suppositi negantes, sensationem dicunt esse operationem solius animae pro-

priam; motusque ab extra in corpore productos esse meram sensationis occasionem; sensationem esse perceptionem horum motuum ab anima per eos determinata, et repraesentationem corporis externi per hanc perceptionem.

3° Peripatetici plerique tum de brutis, tum de homine dicunt sensationem non esse operationem solius animae propriam, sed essentialiter ab organorum concursu pendente, ac proinde facultatem esse totius compositi.

Prob. Ex praecedentibus jam patet: 1) singulas potentias sensitivas esse organicas, i. e. intrinsecus dependentes a materia organisata ut a causa materiali sua, 2) easdem potentias esse realiter distinctas ab omnibus viribus materiae brutae, 3) neque eas fundari posse in solo materiae organismo quatuor; 4) sed requirere animam sensitivam materiae organisatae tanquam formam substantialem subjecti; *a.* haec omnia simul stare non possunt nisi per nostram explicationem; *e.*

Propositio 61.

Anima beluina non est in se subsistens, sed in suo esse pendet a materia.

Stat. quaest. 1° Tongiorgi postquam statuit animam brutorum esse simplicem et indivisibilem, haec infert corollaria:

- a) animam brutorum non educi e potentia materiae,
- b) esse substantiam, et quidem completam, licet non sit suppositum,
- c) neque oriri posse nisi per creationem,
- d) esse dependentem a corpore quoad suas omnes operationes,
- e) non tamen quoad ipsum suum esse,
- f) a corpore solutam cessare a vivendo et ab essendo, non quidem corruptione sui, sed annihilatione naturae suae debita.

2° Asserimus nunc animam brutorum esse formam materialem, ac proinde non esse substantiam completam, sed eam esse ex se a corpore dependentem quoad ipsum esse.

Prob. Qualis operatio, tale principium a quo procedit; *a.* operatio *totalis* brutorum est a materia dependens *e.*

Ad min. Anima beluina non habet nisi operationes sensitivas, et inferiores, vegetativas; *a.* omnis facultas sensitiva et vegetativa est essentialiter organica (cfr. supra); *e.*

Coroll. Dici jure potest inter omnes formas materiales, animam brutorum supremum gradum occupare, et proxime ad immaterialitatem accedere; nam:

a) omnes aliae formae materiales (minerales, vegetativae) agunt circa objecta materialia, in sua materialitate et conditionibus concretis individuis sumpta;

b) sola anima beluina sentiendo agit circa objecta abstracta a sua materialitate, in conditionibus tamen concretis et individuis sumpta;